Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2677
Quelle:
Copyright:

Eruditi *Honorio Augustodunensi* vindicant, sub cujus nomine ab *Andrea Schotto* editus in *Bibliothecis PP.* legitur. Non vero hunc Codex noster exhibet, sed illum, qui jam a *Trithemio*, et deinceps ex Msptorum consensu ab Editoribus *Maurianis* Operum *Gregorii M.* T. III. P. 2. p. 393. *Paris.* 1705. f. atque a *Ceillerio* Hist. *des Aut. Sacrés* T. XVII. p. 349. *Paris.* 1750. 4. huic Pontifici adscritur. His porro adstipulatur Clausula Codicis nostri Bohemica, quae Commentarium hunc ad S. Gregorium (*Rzeborzye swatebo*) pertinere adfirmat. Clausulae huic rursus adscriptus est *Wenceslaus Rossa Chrudimsky.*

V. *fol.* 197. p. 2. Sequuntur Excerpta ex IV. *Libris Dialogorum* ejusdem *Gregorii M.*

VI. *fol.* 205. p. 2. Opusculum de Lapidibus pretiosis hoc Praefaminis initio: *Reuerendo domino domino Hynkony* (Henrico) *frater Conradus professor sacre theologie se ipsum quamvis modicum tamen totum pro salute vestris affectuosis precibus beniuole aquiescens ac vobis complacere cupiens quendam tractatulum de proprietatibus gemmarum admixtis quibusdam moralitatibus colegit secundum ordinem alphabeti* &c. Fontes, ex quibus fabulas suas potissimum hausit hic *Conradus*, sunt *Dioscorides*, *Evax*, *Isidorus*, et *Albertus M.* Libellum in *Bohemia* scriptum suadet nomen *Hynkonis*; quisnam vero *Hynko* seu *Henricus* iste, et multo magis, an *Conradus* noster *Conradus* ille *de Stiekna* alias *de Austria* fuerit, quem anno 1369. defunctum *Balbini Bohemia docta* edit. *Ungar.* P. II. p. 183. adtingit, Literatores illius gentis, si operae pretium visum fuerit, melius dispicient.

VII. *fol.* 217. Codicem absolvunt *Sermones* II. *De Peccatis in Spiritum S.* et *de Passione Domini.*

Praetextum vero illi folium est membraneum *Paraphrasis Bibliorum rhythmis teutonicis* Historiam *Jonathae* mel degustantis ex *Reg. I.* c. 14. exhibens. Manus Seculi XIV. videtur; dolendumque est, Codicem hunc intercidisse, cujus textus plurimum abit ab eo, quem *Cod.* CXXXVI. indicavimus. En specimen.

In hungers not sein chraft verswant.
Do vant der freche Weigant. (Bellator)
In einem boume honiges vil.
Daz az er an dem selben zil.
Vntz der ellenthafte man.
Gar sein chraft gewan.
Seiner gesellen einer sprach.
Do er den degen (heroem) *ezzen sach.*
Wie tustu so des sol nicht sein.
Verboten hat der vatter dein.
Daz vor nacht nieman ezzen sol &c.